



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 633. Usque Ad Annum 726

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117840**

§. 33. Constans Imperator Romæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66082](#)

Biennio inde elapso, nempe anno 661. Sæculum VII  
uxore & tribus filiis Constantino, Tiberio, A. C. 663.  
& Heraclio Constantinopoli relictis ex-  
peditam navem, quas *Dromones græco* *Theoph.an.*  
nomine appellabant, concendit & pau-*20. p.289. &*  
lo proiectus converso ad urbem Con-*an.27. p.292.*  
stantinopolim vultu expuit, extremam  
indignationem professus.

Enimvero oderant Constantinopoli-  
tani cives Constantem, quod Monothe-  
lita esset, quod Sanctum Martinum Pa-  
pam & S. Maximum Orientis Doctorem  
occidisset, duos Anastasios, ejus Discipu-  
los, & plures alios Catholicos persecutus  
fuisset. Quam ob rem ipse Sedem Im-  
perii Romam transferre meditabatur, &  
eo consilio misit, qui uxorem & liberos  
accerserent, sed obstatere huic proiectio-  
ni Byzantini.

### §. XXXIII.

#### *Constans Imperator Romæ.*

Constans Tarentum appulsus, inde Nea-  
polim movit, cumque Beneventum  
potestati Longobardorum eripere frustra  
tentasset, Roman iter ingreditur, quo  
quinto Julii die Mercurii, Indictione sex-  
ta, anno 663. pervenit. Vitalianus Pa-*Anast. in*  
pa cum omnibus Clericis usque ad sex-*Vital. Paul.*  
tum ab Urbe lapidem, seu duas Leucas *hist. Longob.*  
obviam processerat. Eadem die Impe-*Lib. V. c. 6.*  
rator ad Ecclesiam S. Petri se conferens,  
oravit,

Sæculum VII oravit, & donum obtulit. Die Sabbati  
 A.C. 663. ad S. Mariam ivit, obtulitque. Die Do-  
 minico ad S. Petrum processit cum om-  
 nibus suis, & exierunt Clerici obviam  
 cum cereis. Imperator obtulit Pallium  
 auro textum, & celebrata est Missa. (\*)  
 Sequentे Sabbato venit in ædes Later-  
 nas, lavit se, & pransus est. Die Domi-  
 nico Statio fuit ad S. Petrum, & Missa  
 celebrata Imperator & Papa sibi invicem  
 valedixerunt. Itaque Imperator, duo-  
 decim dies Romæ moratus, æs omne,  
 quo Civitas decorabatur, atque etiam  
 tegulas æreas S. Mariæ Martyrum, quæ  
 Ecclesia olim *Pantheon* vocabatur, abla-  
 tum

(\*) Si Constans Imperator in alterum S. Am-  
 brosum incidisset, conjectura est, ipsum a S. Mis-  
 sae Sacrificio, ab oblatione & ingressu ad Eccle-  
 siam arcendum fuisse. Sed non inepte Palatius  
 ad hunc locum ita differit: *Admirantur non*  
*nulli nimiam Pontificis lenitatem tanta pompa*  
*Imperatorem excipientis, qui S. Martinum re-*  
*legaverat, fratrem occiderat. Non sic Censura*  
*exigebat Canonica. Ab Ecclesia potius arcen-*  
*dus erat, qui totum Orientem perfidia sua ab*  
*Obedientia substraxerat Orthodoxa.*

*Sed hi non considerant opportunam Vitalia-*  
*ni dispensationem erga illum, qui Ecclesiæ ri-*  
*conciliatus apparere volebat. Et cuius etiam*  
*sola fitione, totius Orientis unio speraba-*  
*tur, quæ sub ejus Filio Constantino accidit Po-*  
*gonato.*

tum Constantinopolim devehi jussit. Ro- Sæculum VII  
ma excedens die Lunæ, decimo septimo A. C. 663.  
Julii, Neapolim reversus est, & inde Re-  
gium. Tum in Siciliam trajiciens Insu-  
lam attigit mense Sept. eodem anno 663.  
& Syracusis commoratus est.

### §. XXXIV.

#### *Ecclesia Anglicana.*

Haud multo post hæc tempore Vitalia-  
nus Papa Epistolas Osuini Regis  
Nordhumbrorum accepit, cujus rei cau-  
sam répetere expedit. Quæstio de ce-  
lebrando Paschate in Anglia vehementer  
agitabatur; nam ex Regno Cantii, & *Beda III.*  
ex Galliis advenæ affirmabant, Hiber- *hist. c. 9.*  
nos Pascha contra usum Ecclesiæ Univer-  
salis celebrare. Quidam nomine Roma-  
nus ceteris ferventius veram opinionem  
tuebatur, quia, licet esset Natione Hiber-  
nus, Ecclesiasticæ tamen Disciplinae Re-  
gulas in Gallia & in Italia didicerat. Is  
contra Finanum Episcopum Lindisfar-  
nensem disputans multis auscultantibus  
vel veritatem persuasit, vel saltem eos  
ad eam indagandam excitavit; Finanum  
vero, virum inflexibili ingenio, non tan-  
tum ad agnoscendam veritatem addu-  
cere non potuit, sed etiam exacerbavit,  
ita ut aperte bonæ causæ repugnaret.  
Jacobus, S. Paulini Diaconus, Archiepis-  
copus Eboracensis, Pascha illo die, quo

*Hist. Ecclesiast. Lib. IX.*      T      Ec-